AUGUSTINUS
12. Jh. Seite 124r
Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26123
Copyright: Admont, Benediktinerstift



locutionem quam marcus commemorat · aduinctis etiam
consequenter illis uerbis uel discipulorum uel ipsius que commemo
rantur in actibus apostolorum · credendum est assumptum dnm in
celum · quadragesimo scilicet die · post diem resurrectionis eius ·
Iohannes autem quamuis fateatur multa se pretermisisse
que fecit ihc · uoluit tamen etiam terciam eius representationem
discipulis post resurrectionem factam commemorare ad mare
tyberiadis · semptem scilicet discipulis · petro · thome · natha
niheli · & filiis zebedei · & aliis duobus quos nominatim non
expressit · cum piscarentur · quando iussu eius retia mittentes
in dexteram piscarentur extraxerunt magnos pisces centum
quinquaginta tres · quando etiam petrum ter interrogauit
utrum ab illo amaretur · & ei pascendas commendauit oues
suas · & de eius ipsius passione predixit · & de ipso iohanne
ait · sic eum uolo manere donec ueniam · Ad hoc iohes termina
uit euangelium suum · Iam nunc querendum est quando primum
uisus sit a discipulis · in galylea · quia & hoc quod tercio nar
rat iohannes in galylea factum · est ad mare tyberiadis ·
Quod facile uidet qui recolit illud miraculum de panibus · v ·
quod ita narrare incipit idem iohannes · Post hec abiit ihc
transmare galylee · quod est tyberiadis · Ubi autem putari
potest primum a discipulis post resurrectionem uideri debu
isse · nisi in galylea · si recolantur uerba illius angeli qui secundum
matheum uenientibus ad monumentum mulieribus ita loquitur ·
nolite timere uos · scio enim quod ihm qui crucifixus est que
ritis · non est hic · surrexit enim sicut dixit · Venite & uidete
locum ubi positus erat dns · Et cito euntes dicite discipulis
eius quia surrexit · & ecce precedet uos in galyleam · Ibi eum
uidebitis · ecce predixi uobis · Item secundum marcum si ipse sit